



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 147. Eadem in consessu discussa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

cem orbi christiano conciliaturus, ac proin  
 Ecclesiam pacaturus promitto liberam  
 ac voluntariam Papatus mei abdicatio-  
 nem, quamprimum Petrus de Luna, &  
 Angelus Corarius a Concilio Pisano tan-  
 quam hæretici & schismatici declarati,  
 atque Pontificatu depulsi, juribus suis,  
 quæ sibi arrogant, similiter cesserint, &  
 quidem eo modo ac tempore, iisdemque  
 conditionibus, quas ego meique Legati  
 cum Synodi Deputatis communi suffra-  
 gio declaraturi ac decreturi essemus.

æcul. XV.  
 A. C. 1415.

## §. CXLVII.

*Formula Joannis in confessu discussa.*

Hæc formula a Nationibus in unum con-  
 gregatis ad examen vocatur, ast am- *Idem tom. 4. p. 42.*  
 plis quidem verbis concepta, sed obscura,  
 ambigua, atque ad perficiendum unio-  
 nis opus minime idonea reputatur; si-  
 quidem expressam habebat conditionem,  
 quæ ab utriusque competitoris arbitrio  
 dependebat, adeo, ut unius duntaxat a  
 cessione dissensus, totam hanc sponsionem  
 effectu suo frustrari, sicque Synodi ope-  
 ram hucusque impensam eludere posset.  
 Ergo ad Joannem iterato Deputati able-  
 gantur, eum rogantes, ut magis perspi-  
 cuam, ac minus conditionibus restrictam  
 super cessione sua promissionem ederet.  
 Annuit quidem Pontifex, sed altera ejus  
*Hist. Eccles. Tom. XXV.*      **E e**      for-



Sæcul. XV. formula vix non iisdem, quibus præcedens, verbis concepta erat, quam tamen  
 A C. 1415. Constitutione quadam se firmaturum spondit.

## §. CXLVIII.

*Altera Pontificis formula à Synodo rejecta.*

In illa duntaxat superaddit, quod iudicium acta in Pisano Concilio adversus Benedictum & Gregorium instructa innovarentur, novisque augerentur instrumentis, ita tamen, ut eorum executio usque ad tempus pro cessione ipsis præsigendum suspenderetur, si vero nollent hi duo contententes cedere, secum Imperator & Principes, Regum Legati, totumque Concilium sua studia conferrent adversus eos eorumque fautores, atque ipsum mutuo tam spiritualibus quam temporalibus auxiliis adjuvarent, verum alteram hanc declarationem minus adhuc idoneam, quam primam censebant Patres, quoniam in illa Joannes, prout in priori fecerat, denuo Papatu cessurum se promississet, ea duntaxat conditione, si ceteri duo pariter cederent, insuper causam adversus utrumque instructam innovari postulasset. Hinc Nationes alteram quoque formulam rejicientes, Joannem enixe rogant, ut amplius magisque distinctum  
 cessio-